B. N. C.
FIRENZE
1095
7

Digitized by Google

1035 . 7

Digitized by Google

A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10 95.7

Digitized by Google

C I

RELATIO VITÆ
VENERABILIS SERVÆ DEI
HYACINTHÆ
MARISCOTTÆ.

Unàcum inſtantia pro illius Canonizatione habita in Conſiſtoriis publicis dierum 18. *Decembris* 1700. *&* 11. *Januarii* 1701.

A D

SUMMUM PONTIFICEM

CLEMENTEM
UNDECIMUM.

Per Dominum VINCENTIUM AMADORIUM olìm de Manieris Sacri Conſiſtorii Advocatum.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

MED. PALAT. BIBL. CAES.

ROMÆ, Typis Lucæ Antonij Chracas. MDCCI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

1095.7

Digitized by Google

HYACINTUM Seraphicæ Religionis hortis inſitum, ac tot inter vernantes eorum plantas ſpecioſum formâ, Plurimoque fulgore decorum, inclytum Libani germen, deliciumque æterni illius amoris, qui paſcitur in hortis, Hyacintam, inquam, Mariſcottam, Beatiſſime Pater, cujus vitæ memoria in benedictione eſt, & ſanctum populis nomen ejus, ad pedes Sanctitatis Veſtræ, & Sacroſanctum iſtud ſolium, quod unicum in Terris Cęleſte Tribunal extat, dijudicans ſortes Sanctorum, venerabundus ſiſto.

In Oppido Julianelli, antiquo Mariſcottorum Feudo, anno poſt partum Virginis octuageſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum ex Comite Marco Antonio Mariſcotto, & Octavia Urſina conjugibus, nobilitate generis claris, ſed prole clarioribus orta eſt Hyacinta; primævumque illi plenum magni

ominis nomen Clarix fuit ; futurum quippè erat, ut velut altera Virgo Clara Divi Franciſci filia primogenita, & clariſſimarum Virginum glorioſa parens, clariſſimum ordinem novo, & nunquam interituro lumine Sanctitatis perfunderet.

Dum adhuc ſeptennis erat, portentoſo ſucceſſu donavit eam Deus, tanquam nuncio quodam, ac pignore futurorum mirabilium ſuorum; cùm enim puerorum more luderet propè domus puteum, funemque ſibi fortè fortunâ pedibus contorſiſſet, repentino quodam impetu, hydriâ, necnon hydriæ pondere rapta funis in puteum ruunt: Et Pupula vi funis evecta ſursùm de Terra ſuper os putei, pendula viſa eſt in aere conſiſtere uſque ad occurſum famuli, qui eam prehendit, ab eoque exitioſo lapſu, veluti è gutture mortis eripuit.

Ad nonum uſque ætatis annum in ſacris egit Parentum ; mox verò Viterbium Sanctimonialium in ædes Divo Bernardino ſacras æducationis gratia tra-

ducta

ducta fuit, ibique poſt multos caſus, multaque rerum diſcrimina, tandem annum agens vigeſimum, hortatu Patris, indito ſibi novo Hyacintæ nomine, quod omen veteris augeret odore ſuavitatis, ſacro Minoritarum Ordini ſeſe devovit.

At quoniam nondum venerat hora Judicii ejus, qui facit magna, & inſcrutabilia, ſacro quidem Minoritarum Ordini ſeſe devovet Hyacinta; ſed tamen divini neſcia conſilii, faſtum quendam animi, pronumque naturâ genium vanitatibus ſęculi non dimittit. Dictitabat, libentèr in obſequium Patris religioſis ſe clauſtris concluſiſſe, aſt in his parem ſibi, ac ſuis, parem avitæ nobilitati, atque opibus vitam ducere velle. Reſpuebat cętus humilium, anguſtias cęllularum, pauperem ſupellectilem, communes epulas, rudes amictus; ſemper in ejus ore majorum imagines, ſemperque dignitates, ac decora domus ſuæ. Ampliores ſibi manſiones extruxit, eaſque nobili ſupellectile exornavit, lautiores habuit in uſu cibos, molliores amictus.

Et

Et ut unico verbo cuncta complectar, in id tota contendit, ut ſeſe ab aliarum Sanctimonialium vulgo ſecerneret, eaſque deliciis, & commodis, atque omni cultu corporis anteiret.

Et has inter ſeculi nugas, & mundanę vitæ delinimento tranſegit integrum ferè decennium: cùm demum factâ manu Domini ſuper eam, conflictata exteriùs prolixi cujuſdam languoris gravedine, & clarificata interiùs Sancti Spiritus unctione, Sacræ confeſſionis explendę gratiâ Confeſſarium adivit, qui cum illam aſpero quidem, ut primo obtutu videri poteſt, ſed planè religioſo zelo à ſe repuliſſet, objurgaſſetque fortitèr, inquiens, ſuperbientes animos, quibus ipſemet Deus ſe reſiſtere, eoſque è cęlitum contubernio excludere, profeſſus fuit, fruſtrà pœnitentiæ circumire miniſtros, ac ſeſe in ſpem ſalutis erigere; + Dirupit in lacrymas, ſuſpiriis, ſingultibus, ejulatibus religioſas ædes implevit, divinoque illo ſuccenſa ſpiritu, qui tarda neſcit molimina, ad pedes religioſi Viri proſiluit,

+ has inter voces quaſi ſcopulos acutiſſimos confregit Dominus tumentes fluctus eius.

&

& ſacrâ Confeſſione peractâ, veterem exuit hominem, ac novum induit, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.

Et, ut id opere comprobaret, ſtatim ampliores manſiones, earumque nobilem ſupellectilem, utenſilia, veſtes, redditus quoque paternæ domus rejecit à ſemetipſa, & in manibus Præfectæ Monaſterii dimiſit, omnia faciens detrimentum propter Chriſtum, & arbitrans ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret: Conjecit ſe in parvum quendam angulum Monaſterii, in quo procul ab humanis conſortiis faciliùs converſatio ejus eſſe in Cęlis poſſet. Lectulum ſibi paravit, qui præ ſui duritie lectus erat doloris magis, quàm quietis ejus, cujus ſtragula vitium fruticibus aſpera, rudis, & abjecta lodix, cervical ligneum, vel ſaxeum: extulitque ſupra lectulum magnę molis crucem, ſuffixis ei longis, gravibuſque catenis, quas ipſa cum ſomno ſe traderet, gaudens in captivitate manere Crucifixi Jeſus, continuò ſibi modò col-

lo,

lo, & modò pedibus innodabat. Corpus operuit vili, rigidoque ſacco Religioſi cujuſdam demortui Strictioris obſervantiæ Divi Franciſci, per eleemoſynam impetrato: renes præcinxit nodoſa fune: crura, pedeſque nudavit, calceamenta ſolvens, & ad Cœlum dirigens greſſus ſuos.

Neque his tantùm rerum vinculis exſolvendam ſe cenſuit, quo Chriſtum ſequi liberiùs poſſet: cogitavit inſupèr (ſubtilis eſt enim, & ingenioſa charitas) exſolvere ſe vinculis ſanguinis, quæ cæteroquìn natura conſtituit inſolubilia: refutatis quippè parentibus, fratribus, & conſanguineis Mundi, totidem ſibi de Cœlo quoſdam loco parentum, quoſdam loco fratrum; quoſdam loco conſanguineorum adſcivit, ac poſuit Sanctos Dei; Dumque priùs Mariſcotti cognominis aurâ adeò inſufflabatur, nomenclaturâ iſtâ repudiatâ prorsùs, ſibique deletâ, nuncupari deinceps dumtaxat voluit Hyacinta paupercula Sanctæ Mariæ.

Ad

Ad menſam quotiès accedebat, totiès ſune de collo pendente,prona in terram, ſuffuſa fletu, oſcula pedibus figebat omnium etiam famulatitii gradus Monialium, quas vvlgus Converſas vocat, palàm anteactæ vitæ rationem exprobans, & offenſæ ſodalibus datæ veniam depoſcens in amaritudine Animæ ſuæ. Menſæ autèm haud ampliùs priſtino ſe loco inter Moniales ſociavit, ſed noviſſimo intèr Converſas, deficiendo ſcilicèt à ſemetipſâ, ut ad eum, qui ſuprà eſt, approximaret.

Semèl tantùm in die, vel manè, vel veſperè veſcebatur, ſed cibus erant panis fruſtula, & hærbæ decoctæ; potus autem hauſtus aquæ; Et ſi quando pulmentum, vel aliud edulii genus addere per obedientiam obſtringebatur, artificio quodam ſancto declinans ſapere, quæ ſuper terram ſunt, vino, vel aquâ epulum obruebat, ut fieret inſipidum, & ut id, quod ipſa non poterat omninò non capere, ſaltèm caperet iniucundum. Inſtruxit ſe quandoque ſelectioribus

bus cibis, ſed illicò in ſpiritum ſuæ vocationis revertens diſperſit, ac dedit pauperibus. Deſiderium quondam eam tenuit comedendi præcordium hædi, comparavit ſibi, ſed quid? appendit muro, detinuitque quouſque tabo maderet; & tùnc cæpit, duravitque non parùm naribus admovere, in læſionem odoratus detorquens id, quod intenderat in lenimentum guſtus.

Et cum id vitæ genus ageret, quod non immeritò perpetua quædam inedia dici poſſet, adhùc tamen ſingulares quoſque anni dies feſtos, ſingularibus etiam abſtinentiis præcurrebat, & obſervabat, nàm per totum tempus Adventus, totumque tempus quadragenarii Jejunii, exiguiore panis buccellâ ſeſe nutriebat, eâque furno exſiccatâ, quo palato eſſet aſperior, juncto abſynthio, aliiſve amaris herbis, quæ ſtomacum magis laceſſere, quàm demulcere palatum poſſe, aut famem ſedare viderentur. Et eadem auſteritate, ſeveritateque vitæ uſa fuit omnibus Pervigiliis Deiparæ

paræ ſemper Virginis, aliorumque plurium Sanctorum, quorum erga merita peculiari devotionis ſtudio, ac reverentia ferebatur. Omnes denique dies Veneris in honorem paſſionis Dominicę tranſigebat integros ullo pænitùs ſine cibo.

Sed cujus eſuriebat corpus, anima certè nunquam epulari ceſſabat; vix enim noctu lectulo procubuerat, dederatque membra, diurnis orationibus feſſa, quieti, cùm ſtatim ferè expergefacta ſurgens, & fugam temporis dolens, quod pretioſum non minùs, quàm breve eſſe dicebat, properabat ad Chorum, perque horas antè Sacroſanctam Euchariſtiam flexa genu ardentiſſimas fundebat ad Deum preces, quò dignam eam faceret vocatione ſua, impleretque agnitione voluntatis ejus. Omnibus Monaſterii tàm diurnis, quàm nocturnis divinis Officiis, aliiſque ſacris precibus, & exercitiis ſine ulla pænitùs intermiſſione ſemper interfuit. Quotidiè nudis pedibus loco ſeptem Eccleſiarum Urbis, ſeptem longè, latèque patentis mona-

ſterialis horti Sacella inviſebat; neque ab hoc pietatis opere ullus eam valuit, vel æſtivus calor, vel hybernum frigus abducere; quinimò rigente hyeme perſepè conſpecta fuit ſuper nive, & glacie genibus conſidere, tàm contracta frigore, ut reptilis more, viam carpere cellam versùs manibus, ac pedibus cogeretur. Quotidiè etiàm in honorem Scalę ſanctæ Urbis nudata pede, & ponderoſiſſimo onuſta ſaxo, vel Cruce, longam ſcalam Monaſterii genibus conſcendebat. Alternis plerumque diebus Angelorum pane delicias præbente Regibus, animum reficiebat, tantâ cum humilitate, ac devotione, tamque pio cordis affectu, ac fiducia ergà Deum, ut & pallere vultu præ timore ac tremore, & rubere præ divini amoris æſtu, atque incendio viſeretur, & os ejus veluti redundans favus; divinæ dapis dulcedinem diſtillare. Statis autèm anni temporibus Sanctorum Anachoretarum æmulata ſeceſſus, ſolitudines ſibi ædificavit, quas inter aſcenſiones in corde ſuo diſpo-

ſponebat, & ſicùt pullus hirundinis, ſic clamabat, meditabatur ut columba.

Accinxit etiam Virgo iſta fortitudine lumbos ſuos; & roboravit brachium ſuum, ac deficientibus ad ſui martyrium Tyramnis, ac tortoribus, ipſa ſe fortior utrorumque miniſterium in ſe explevit. Nàm ſemper, & ubique mememorans effatum illud *Septiès in die cadit Juſtus*, ſeptiès etiam in die (licèt plùs longè quàm ſeptiès laudem Domini annunciaret) diriſſimis flagellis ad ſanguinem uſque ſeſe torquebat. Et perſepè vim patiens, quod impares eſſent animo vires, opem implorabat fidæ Sodalis, eamque precibus, conqueſtionibus, ſuſpiriis, ac lacrymis in id tandem adigebat refugientem licèt, àc reluctantem, ut nunc pœnalibus vinculis, nunc ſpineis mucronibus, nunc ardentis liquamine ceræ, in holocauſtum ejus corporis exhibendum Domino, ſui quoque roboris ſuppetias adiiceret.

Singulis autèm ſextis feriis exercitium ſuperaddebat planè mirabile, at-

que omnium linguis, ac litteris prædicandum, quod ipſa ſub itineris Hieroſolymæ nomine deſignabat, quo ſcilicèt cum incredibili ſui conflictatione, ſive laniena, Paſſionem Chriſti Domini, per ſuos quoſque gradus, ſive myſteria, non ſolùm animo, ſed & corpore, atque opere recolebat. Pergens enim in hortum, figuranſque ſibi Chriſtum in horto Gethſemani orantem ad Patrem, procidebat in terram, & in omni oratione, & obſecratione divinum mentis impetum ad altiſſimarum rerum contemplationem erigebat. Indè ſurgens, atque animo reputans captionem Chriſti, lapſumque in Torrentem Cedron, cingebat colla catenis, & in foveam gelidis aquis tumentem crura jaciebat. Ulteriùs progrediens, aciemque intellectus defigens in Prætoriis Annæ, Caifaſſi, Pilati, & Erodis, atque in Chriſto iis in aulis, ſeù potiùs carnificinis, affecto alapis, & opprobriis, ac flagellis, ſpineiſque ſertis, tundebat alapis genas, exc ruciabat, dilanibatque cor-

corpus omni flagellorum genere congregato; urticis nempè, virgis, atque catenis, & aculeatorum ceſpitum coronâ caput, ac tempora confodiebat, & cruentabat. Bajulanſque demùm ſibi Crùcem, & in eminentiorem quendam locum aſcendens, quem fingebat eſſe Calvarię montem, in quo mortem Crucis obivit Chriſtus, toto ſeſe per terram corpore conſternebat, & hùc illùc pectus, & ora, manuſque, pedeſque concutiens plangebat, & conclamabat *Amor meus, Amor meus crucifixus eſt*.

Et tamen humilis Virgo nihil ſe agere exiſtimabat, aut pati pro Chriſto: improperabat ſibi ſupinam ignauiam: omnium ſe creaturarum Dei frigidiſſimam in charitate profitebatur, & cum amore langueret, Amorem ſemper, & enixiſſimè precabatur, ac ſuſpirabat. Iaculatorias quaſdam oratiunculas ex diuini amoris ignitâ pharetrâ depromſerat, in quas continùo præ amoris efferueſcentiâ, velut orbata ſenſu, quocumque tandem in loco, & quibuſcumque cum perſonis age-

 ret,

ret, vèl inuita erumpebat, Nonnumquam etiam noctu comperta fuit repentè de lectuculo proſilire, reſerare fæneſtras, cęloque aperto eas in voces cogi *O' Amor, O' Amor*.

Ad hęc voluit Pater Cæleſtis electam ſuam, velùt aurum in Fornace, probare igne plurium infirmitatum, perſecutionum, & iniuriarum, necnon tentationum, ac viſibilium inſultuùm Principis Tenebrarum. Capiebant enim ipſam frequentiſſimè dolores Colici, alijque Morbi: quibus tamen in infirmitatibus gloriabatur, & externus angebatur illius homo, internus autem firmior reddebatur. Erant etiam inſenſatæ quædam Moniales habentes illam in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, vitamque eius exiſtimantes inſaniam: Amicę eius dereliquerunt eam; nec dèfuit quę illam, prę humilitate, cuiuſque pedes exoſculantem, increpando tanquam Superbam, & hypocritam, pede percuſſerit. Verum ipſa in omni benedictione, & gratiarum actione patientiam habebat in eo, qui

mi-

miſericordias facit; & Judicium iniuriam patientibus, nèc ei refectio dulcior erat ulla, quàm panis tribulationis, & aquâ anguſtiæ. Spiritum demùm iniquitatis, qui ipſam omni exquiſito genere inſidiarum, & artium, pluribuſque viſibilibus inſultibus, ac moleſtiis infeſtabat, & impetebat ad damnationem, per ſcutum Fidei, haſtam Spei, loricam Charitatis repreſſit fortitèr, eluſit, debellavit.

Et ſicut excelluit Hyacinta Charitate ergà Deum, ità etiàm ergà Proximum. Super egenos, & pauperes annuentibus Superioribus benignè, àc multipharіam intendit: Cui enim veſtimenta, cui cibaria, cui pecuniam, cui officia largiebatur. Sempèr ab hominibus pietate præditis mèndicabat, vt non deeſſet ſibi, quod mendicis daret; dolebatque plurimum, quod non plus poſſet ipſa, diuites autem nollent omnia in pauperes erogare. Et quamquam infirma, alacritate tamen non caruit, ac promptitudine ad ſubſtinèndam imbecillitatem in-

firmorum: Et in hoc adèo enituit, adeoque omnem poſſibilem metam charitatis attigit, vt plagas etiam ipſas, ac vlcera ſaniè, taboque fluentia lingere non timuerit, & velut illa lingendò, perfoſſis lancea ſacroſanctis Chriſti Coſtis os appelleret, magnum indè gaudium, iucunditatemque perceperit.

Mirum forsàn videbitur id, quod dicam, ſed tamèn omninò verum. Plus in obſequium diuini cultus, & ſalutis Animarum imbecillis Virgo præſtitit intrà clauſtra, quàm foris præſtare Vir quicumque diſcliplinæ apoſtolicæ valuiſſet. Monita ſalutis edocuit: inueteratas, atque omnium iudicio implacabiles iras ſedauit: currentes confouebat in via, labentes ſubſtentabat, lapſis remedia afferebat. Accidit non ſemèl, quod ad Ædes Monaſterij venerunt ſpiritualibus viris ſociatæ perſonæ, læthalis peccati laqueo obſtrictæ, Hyacintam allocuturæ, quas ſtatim ipſa vel ſermone, vel ſolo etiam quandoque oculorum obtutu, quaſi corruſcatione quadam perſtrinxit, atque

com-

Digitized by Google

compunxit, ac de tenebris, & vmbrâ mortis tranſtulit in règnum Filij Dei. Quamplura inſtituit exercitia pietatis, præſertìm in honorem Sanctiſſimæ EUCHARISTIÆ, ac Beatæ MARIÆ Virginis. Duo deniquè Sodalitia fundavit, alterum ad opem infirmis Zenodochii præſtandam, & alterum ad ſublevandas calamitates, & anguſtias Invalidorum, ac Senum, quæ ambo deinceps ad hæc uſque tempora uberes germinarunt in fructus, & nunc etiam benedicente Domino tàm ſalutaribus fundationibus, germinare non deſinunt.

Prævenit quoque illam Dominus in benedictionibus dulcedinis, iiſque omnibus ſpiritualibus deliciis cumulavit, quibus Sanctitas ſolet etiam in Terris abundare, piorumque caro in Deum vivum jucundatur, & exultat. Donum lacrymarum ſortita fuit; nullum quippe ſine lacrymis non modò opus, ſed nè colloquium quidem, aut ſermonem tranſegit, quod ad rationem divini Cultus, ac ſalutis animarum pertineret; & vel

 ad

ad ſolam auditionem Crucifixi IESVS, aut aſpectûm eius Imaginis, telâ, vel muro depictæ, ſoluebatur in lacrymas. Dum collectioni ſpiritus, & orationi vacabat, frequentèr in Extases rapiebatur, in quibus excelſa, & iucunda de ſuauitate Dei, deque Æternitatis Regione libamina deguſtabat. De periculo ſalutis ſuæ anxiè nimium ſecum ipsà cogitanti, ope ſui fauoris oblata, animum intulit, ac ſolamen in famulatu Dei Catharina Senenſis, quam ipſa uſque à diluculo vocationis ſuæ in patronam, atque Magiſtram ſibi præſcripſerat. Cum ad quandam horti Monaſterij Crucem oraret, viſa eſt hęc veluti prece commoueretur, inclinare ſeipſam, ac deſcendere ſuper caput eius. Prophetiæ ſpiritu claruit; nam paſſim ægrotis ſalutem, benevalentibus infirmitatem, vel obitum prænunciabat; adeoquè res intrà cordium arcana concluſas, ac ſoli Deo pervias introſpiciebat, vt ſecreta cordium oculis legere videretur. Quid quid petijt à Patre in nomine Jeſus dedit ei. Opportunam credebat

Hya-

Hyacinta Pacini cuiſdam in remotis agentis operam ſervitio Dei. Penetrarunt orationes ejus cor abſentis, qui Hyacintę vocatione perceptâ, ſtatim accurrit. Exhauſta erant Altaria Cereis, Vrcei Oleo, arcæ frumento; Breui labiorum motu, rem Domino commendante Hyacinta, facta eſt omnium abundantia in turribus eius. In procella deniquè Maris Nautis ab ea auxilium precantibus viſibilitèr preſtò fuit, nec eos antè deſeruit, quàm in portum traduceret.

Poſtremò prætioſa in cõſpectu Domini fuit mors Hyacintę; ſentiens enim ipſa versùs finem menſis Ianuarij anni quadrageſimi ſupra milleſimum ſexcenteſimum ardentiſſima ſuprà morem pectus eſtuare flammâ, ingenti mentem geſtire gaudio, proximum eſſe aït acceptabile tempus cęleſtium nuptiarum. Cumque manè Confeſſionis, & Communionis Sacramentis ſeſe paraſſet, inuaſerunt eam de ſero immanes ſuprà modum dolores colici: Filoſophantibusque die ſequenti Medicis, remedia morbo fruſtrà, inquit, hoc

hoc faciunt, nàm veſpere complebo dies meos, quod tam blando protulit uultu, tamquè ſereno, ut appareret verè Virgo prudens, ac ſapiens in veſtibulo Paradiſi expectans cum Lampade, ut Sponſus veniret. Veſperè igitur adventante, munimine extremę Unctionis efflagitato, & ſumma cum alacritate animi, ac deuotione ſuſcepto, necnon venia à circumſtantibus Sororibus humillimè implorata, Crucifixum penes sè habens, & in manus eius ſpiritum ſuum commendans, fixis in Cęlum oculis, beato fine quieuit.

Ad exequias præ famâ ſanctitatis eius, ac devotione, convenit omnis ordo, ſexus, & ętas. Reſonabat undiquè Eccleſia acclamationibus, ac plauſibus eius virtutum, rerumque geſtarum. Certatim omnes ſcindere ſtuduerunt veſtimenta eius, extollentes, & aſſeruantes tanquam inſignes reliquias. Tantuſque fuit in hoc fidelium ſtrepitus, æmulatio, atque cupido, ut per tres uſque vices neceſſe fuerit ad denudatum ferè devotione populi cadauer Virginis, novis veſtimentis ac-

cure-

currere, & tandèm idipſum milite cuſtodire. Ad tactum eius, obſtupeſcentibus omnibus, magnificantibuſque divitias bonitatis Dei mirabilis in ſanctis ſuis, claudus greſſum recuperauit; alijque deinceps quamplurimi ad invocationem Servę Dei graviſſimis, deſperatiſſimiſqve de morbis miraculosè convaluerunt.

Quæ cum ità ſint, Beatiſſime Pater, tam aſperum vitę genus, tot, ac tanta ſtudia Charitatis in Deum, ac Proximum, tot cæleſtia virtutum dona, ſancta opera, mirabilia, pręclara, voces ſunt ad vos clamantes, obteſtanteſque, vt qua ſuffulti eſtis, Vicariâ poteſtate Dei, Hyacintam Mariſcottam mulierem fortem, quę bonum ~~certamen~~ certauit, curſumque fælicitèr conſumavit, coronetis corona Iuſtitiæ, Sanctarumque Virginum faſtis, atque Aris, Templiſque donetis. Orant hoc ipſum ad Sanctitatis Veſtræ pedes provoluti Romanorum Imperator, Rex Catholicus, Rex Poloniæ, Magnus Dux Hetrurię, aliique permulti

Prin-

Digitized by Google

Principes : orat inclytus, ac de Vinea
veſtra adèo emeritus Operarius ordo Se-
raphicus : orant demùm quamplures
Vniverſitates , Populi , & Vrbes : qui
omnes unanimes hanc Dei famulam
ſummo quodam,& incredibili planè cul-
tu proſequntur, eamque præſentiſſimum
ſibi ſemper futurum Numen, atquè præ-
ſidium in adverſitatibus pollicentur.

FINIS.

1097.7
99 959930
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALLEGRI LABORAT. RESTAURO LIBRI PARMA

Digitized by Google